

Opuscula

EPISTOLÆ PASTORALIS ad POPULUM & CLERUM DIOECESIS CRACOVIENSIS ex MANDATO EMINENTISSIMI CARDINALIS LIPSKI editæ.

(47)

CAPUT XVIII.

De Accidentiis Parochorum obventionibus & Taxa.

CONsiderantes multas oriri rixas, & mutuam inter Parochos & Parochianos ſeu Conſanguineos mortuorum diſcordiam, dum vel juſtum pro Officiis, vel plus æquo habere præmium cupiunt, ac exinde cum Scandalo fiant jurgia, & populi de avaritia Sacerdotum creſcit opinio, ordinamus: ne ampliùs in hoc caſu moleſtias, & contentiones exoriri contingat.

1. Pro Adminiſtratione Baptiſmi, benedictione poſt partum, & poſt nuptias, ac aliis benedictionibus ſolîs ſpontè oblatîs omnes ſint contenti.

2. Pro benedictione Matrimonii à Nobilibus, Civibus, ac aliis ditioribus ſecundùm cujusq; Conditionem Imperiales duos, vel unum, à pauperibus & ſimplicibus non plus, quàm duos Florenos.

3. Pro bannis ſingulis ſingulatim groſſos ſex.

4. Pro Proceſſione funebrali ſi fiat tantùm extra Eccleſiam egreſſus groſſ. decem: ſi de domo defunctus educatur, groſſ. viginti.

5. Pro Officio Defunctorum trium Nocturnorum cum Laudibus cuilibet Presbytero cantanti Floren. unum, ſi tantùm ſit unus Nocturnus cum Laudibus, groſſ. quindecem. Pro Miſſa cantata Flor. tres. Servientibus in Dalmaticis groſſ. quindecem.

6. Pro Conductu & Salve Regina Florenus unus, inter omnes dividatur.

7. Pro loco Sepulturæ in Eccleſia Flor. decem, in Cæmeterio Floren. duos.

8. Pro ſingulis pulſibus campanarum ſervetur conſvetudo antiqua habita ratione qualitatis, & numeri eorundem: horum medietas concernit Eccleſiam.

9. A Panno feretri, groſſ. ſex.

10. A ſingulis candelis ſi ardeant per Miſſam & Conductum groſſ. ſex; ſi per Officium trium Nocturnorum cum Miſſa groſſ. duodecem: Unius Nocturni groſſ. novem. Hoc totum cedit Eccleſiæ.

11. Verè autem pauperibus, Baptiſmus, Benedictiones, etiam Matrimonij, ac Sepultura præſtetur omninò gratis.

12. Pro Miniſtris Eccleſiarum moderamen accidentium relinquitur arbitrio DD. Decanorum. Quas ſolutiones augeri, & plus ſolito, & conſveto exigi, ſub pœnis Arbitriô Noſtrô decernendis prohibemus, niſi majoris laboris ratione, plus ſpontè & liberè fuerit oblatum & donatum.

antoni kralikowa
Theresia kamie





